

16 quotations attributed to Iohannes Solobriensis (John of Salisbury) in the *Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 1, Liber 3, Rubrica 5: De moralitate circa se et alium (fol.20rb)

Ioannes solobriensis anglicus in palicratone libro 5. **Traianus optimus imperatorum arguentibus eum amicis quod in omnes nimium et vltra quam imperatorem deceat communis esset: respondit se talem velle imperatorem esse priuatis quales imperatores sibi esse priuatus optasset.**

Egregie quidem Traianus, gentilium optimus Augustorum, arguentibus eum amicis quod in omnes nimium et vltra quam imperatorem deceat communis esset, respondit se talem uelle imperatorem esse priuatis quales imperatores sibi esse priuatus optasset.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 4.8 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.259, ll.38-42).

Pars 2, Liber 6, Rubrica 3: De principibus: ducibus et regibus (fol.55rb)

Ioannes solobriensis anglicus in polycratone libro 5. **Traianus optimus imperator arguentibus eum amicis quod in omnes et vltra quam imperatorem deceat communis esset: respondit se talem velle imperatorem esse priuatis quales imperatores sibi esse priuatos optasset.**

Egregie quidem Traianus, gentilium optimus Augustorum, arguentibus eum amicis quod in omnes nimium et ultra quam imperatorem deceat communis esset, respondit se talem velle imperatorem esse priuatis quales imperatores sibi esse priuatos optasset.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 4.8 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.259, ll.38-42).

Pars 3, Liber 5, Rubrica 13: De aspera vel rigida et de verbis malignis ac conuiciis (fol.78rb)

Iohannes solobriensis in policratone libro 12. **Antigoninus rex teocritum reum de quo iurauerat quod ei parsurus esset: occidit propter sconia ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad antigonum raperetur: solantibus cum amicis ac spem pollicentibus quod omnino clementia regis experturus esset cum ad oculos eius venisset: Respondit. ergo impossibilem mihi dicitis spem salutis. erat autem antigonus vno orbatus oculo. Et in portuna vrbanitas maledicum luce priuauit.**

Quippe Antigonus rex Teocritum Chium, de quo iurauerat quod ei parsurus esset, occidit propter scoma ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis ac spem pollicentibus quod omnimodo clementiam regis experturus esset cum ad oculos eius uenisset, respondit: ergo impossibilem michi dicitis spem salutis. Erat autem Antigonus uno orbatus oculo; et importuna urbanitas maledicacem luce priuauit.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 8.10 (C.C.I. Webb ed., vol.2, p.289, ll.12-20).

Pars 3, Liber 6, Rubrica 19: De scomatibus id est callidus dictis conuiciis que vulgo in italia dicuntur moti (fol.83vb-84ra)

Iohannes solobriensis anglicus in policratone libro 4. **Octauiano augusto simillimus quidam adolescens urbem intrauit: quem augustus ad se perductum interrogauit: dic mihi adolescens. fuit vnquam mater tua rome negauit ille: nec contentus adiecit: sed pater meus sepe. Ioci itaque asperitate vrbana notitiam omnium et familiaritatem imperatoris sibi conciliauit.**¹ Libro 5. **Plato cum vidisset dionysium sicilie tyrannum corporis sui septum custodibus. Quod tantum inquit malum fecisti: vt alteram multis necesse habeas custodiri.**² Libro 8. **Hannibal cum apud regem anthiochum moraretur: causa proficui facetissime cauillatus est. Rege ostentante exercitum insignibus aureis et argenteis florentem inducentem currus cum falcibus et cum turribus elephants: et omnem equitatum frenis epyphiis monilibus ac faleris prefulgentem. Cum ergo rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus hannibalem aspexisset: putas ne satis esse romanis hec omnia. Tum penus ludens ignauiam imbeliamque militum eius preciose armatorum. Plane inquit satis esse credo: etsi romani auarissimi sint.**³ Libro 12. **Antigonus rex theocraticum rhium de quo iurauerat quod ei parsurus esset occidit propter scoma ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad antigonum repareretur: solantibus eum amicis ac spem pollicentibus quod omnino clementiam regis experturus esset cum ad oculos eius venisset: respondit: ergo impossibile mihi dicitis spem salutis: erat autem antigonus vno orbatus oculo. Et importuna vrbalitas maledictum luce priuauit. Libertus regis cum ad nouas diuitias nuper erectus philosophos ad conuiuium congregasset: et irridendo eorum immutulas questiones scire se velle dixisset cum ex alba faba et nigra pulmentum vnus coloris edatur. An dicens philosophus indigne ferens tu nobis inquit absolue: cum et de albis et nigris loris similes macule gignantur. Commendatur scoma et conditio dicentis: si in eadem causa sit.**⁴

1. Intrauerat urbem adolescens simillimus Cesari, perductumque ad Cesarem interrogauit Augustus: Dic mihi, adolescens, fuit vnquam mater tua Romae? Negauit ille, nec contentus adiecit: Sed pater meus saepe. Ioci itaque asperitate urbana notitiam omnium et familiaritatem imperatoris sibi conciliauit.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.14 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.226, ll.151-156).

2. Plato, ut ferunt historiae gentium, cum uidisset Dionisium, Siciliae tyrannum, corporis sui saeptum custodibus, quod tantum, inquit, malum fecisti ut a tam multis necesse habeas custodiri?

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 4.5 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., pp.242-3, ll.55-58).

3. Vnde et Hannibal, cum apud regem Antiochum moraretur causa profugii, facetissime cauillatus est, rege ostentante exercitum insignibus aureis et argenteis florentem, inducentem currus cum falcibus et cum turribus elephantos et omnem equitatum frenis epiphiis monilibus ac faleris praefulgentem. Cum ergo rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aspexisset: Putasne, inquit, satis esse Romanis haec omnia? Tunc Penus illudens ignauiam imbelliamque militum eius pretiose armatorum: Plane, inquit, satis esse credo, etsi Romani auarissimi sint.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 6.19 (C.C.I. Webb ed., vol.2, pp.54-5, ll.23-32, 1).

4. Quippe Antigonus rex Teocritum Chium, de quo iurauerat quod ei parsurus esset, occidit propter scoma ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis ac spem pollicentibus quod omnimodo clementiam regis experturus esset cum ad oculos eius uenisset, respondit: ergo impossibilem michi dicitis spem salutis. Erat autem Antigonus uno orbatus oculo; et importuna urbanitas maledicacem luce priuauit. Nec negauerim philosophos quoque incurrisse per indignationem hoc genus scomatis. Nam cum regis libertus ad nouas diuitias nuper erectus philosophos ad conuiuium congregasset, et irridendo eorum minutulas quaestiones scire se uelle dixisset cur et ex nigra et ex alba faba pulmentum unius coloris edat, Aridices philosophus, indigne ferens: Tu nobis, inquit, absolue cur et de albis et de nigris loris similes maculae gignantur. Commendat scoma et conditio dicentis si in eadem causa sit, ut si alium de paupertate pauper irrideat, si obscure natum natus obscure.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 8.10 (C.C.I. Webb ed., vol.2, p.289, ll.12-30).

Pars 3, Liber 6, Rubrica 20: De facietis dictis exclusiuis verecundie imminentis (fol.84rb)

Iohannes solobriensis anglicus in policratone libro 4. **Octavianus augustus cum nanus a corporis breuitate conuiciatus: cuiusdam impetu diceretur: sibi calciamentis grandiusculis vtendum esse respondit.**¹ Libro 7. **Cicero consul cum in palatio domum emere vellet et pecuniam in presens non haberet a silla qui tunc reus erat mutuo sextertium vicesies accepit. Ea res priusquam emeretur prodita est et in vulgus exiuit: obiectumque est ei: quod pecuniam domus emende causa a reo accepisset. Tunc Cicero inopinata opprobatione permotus accepisse se negauit dicens se domum non esse empturum: atque ideo falsum esse inquit quod obicitis: vt verum sit me pecuniam accepisse si domum emero. Sed cum postea emisset: et hoc mendatum ei in senatu ab amicis obiiceretur: risit satis: atque in tridendo imprudentes inquit homines estis cum ignoratis prudentis et cauti patrisfamilias esse quod emere velit: inempturum sese negare propter competitores emptionis: sic itaque quod inficiari non poterat vrbano facetoque dilluit dicto familiare siquidem habebat: vt quotiens obiectum turpe abnegare non posset: responsione ioculari illud eluderet.**²

1. Et cum nanus ob corporis breuitatem conuiciantis cuiusdam impetu diceretur, sibi calciamentis grandiusculis vtendum esse respondit.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.14 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.226, ll.167-169).

2. Cicero, cum in Palatio domum uellet emere et pecuniam in praesens non haberet, a Silla, qui tunc reus erat, mutuo sextertium uicies tacite accepit. Ea res, priusquam emeretur, prodita est et in uulgus exiuit; obiectumque est ei quod pecuniam domus emendae causa a reo accepisset. Tunc Cicero inopinata obprobatione permotus accepisse se negauit, dicens se domum non esse empturum; atque: Adeo falsum est, inquit, quod obicitis, ut uerum sit me pecuniam accepisse, si domum emero. Sed, cum postea emisset et hoc mendacium in senatu ei ab inimicis obiceretur, risit satis atque inter ridendum: Imprudentes, inquit, homines estis, cum ignoratis prudentis et cauti patrisfamilias esse, quod emere uelit se empturum esse negare propter competitores emptionis. Sic itaque quod infitiari non poterat, urbano facetoque diluit dicto, rem magis dignam faciens risu quam crimine. Familiare siquidem habebat ut, quotiens obiectum turpe abnegare non posset, responsione ioculari illud eluderet.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 5.15 (C.C.I. Webb ed., vol.1, pp.346-7, ll.25-31, 1-12).

Pars 3, Liber 6, Rubrica 21: De iocali seu faceta excusatione (fol.84va)

Iohannes solobrienses anglicus in polycratone libro 4. **Cicero consul cum in palatio domum vellet emere** etc. vt supra titulo proximo.

Cicero, cum in Palatio domum uellet emere et pecuniam in praesens non haberet, a Silla, qui tunc reus erat, mutuo sextertium uicies tacite accepit.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 5.15 (C.C.I. Webb ed., vol.1, p.346, ll.25-26).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 2: De paupertatis proficuo et molestia ac illaudatione diuitiarum
(fol.91ra)

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 10. **Crates thebanus proiecto in mari non paruo auri pondere: abite inquit possime cupiditates: ego vos mergam: ne ipse mergar a vobis.**

Crates quoque ille Thebanus, proiecto in mare non paruo auri pondere: Abite, inquit, pessum malae cupiditate, ego uos mergam ne ipse mergar a uobis.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 7.13 (C.C.I. Webb ed., vol.2, p.151, ll.3-6).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 1: De potentioribus et impotentioribus (fol.96vb)

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. **Dionydes pirata ab alexandro rege apprehensus: interrogatusque quid ei videretur: quod mare haberet infestum: liber contumacia quid tibi inquit tu orbem terrarum. Sed quia id ego vno nauigio facio latro vocor: quia tu magna classe diceris imperator. Si solus captus sit alexander latro erit si ad nutum dionydi famulentur populi: erit dionydes imperator.**

Cum enim Alexander interrogaret quid ei videretur quod mare haberet infestum, ille libera contumacia, quod tibi, inquit, ut tu orbem terrarum? Sed quia id ego uno nauigio facio, latro uocor, quia tu magna classe, diceris imperator. Si solus captus sit Alexander, latro erit. Si ad nutum Dionidi populi famulentur, erit Dionides imperator.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.14 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.223, ll.65-70).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 7: De irrisione et illusione (fol.99ra)

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro i. **Demetrio regi in opprobrium puerilis leuitatis tali aurei a rege parthorum dati sunt. Eo siquidem munere exornanda visa est adolescentia senilis que in maiestate regni leuia committere minime verebatur.**

Regi quoque Demetrio in obprobrium puerilis leuitatis tali aurei a rege Parthorum dati sunt. Eo siquidem munere exonoranda uisa est adolescentia senilis et quae in maiestate regni leuia committere minime uerebatur.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 1.5 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.45, ll.73-76).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 14: De fama seu estimatione laudabilis et infamia (fol.102ra)

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 6. **Isocrates querenti quomodo quis famam optimam compararet. Si gesserit inquit optima et locutus fuerit pauca.**

Vnde Socrates quaerenti quo modo quis famam optimam compararet, Si gesserit, inquit, optima et loquutus fuerit pauca.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 5.6 (C.C.I. Webb ed., vol.1, pp.304-5, ll.27, 1-2).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 3: De spernendis conuiciis et malis dictis (fol.118vb)

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. **Octauianus augustus cum tyberius quereretur per epistolam quod multi de illo perperam loquerentur: ita rescripsit: Mi tyberi noli nimis indignum quemquam esse qui de te loquatur malum. satis est enim si hoc habemus ne quis nobis mala facere possit. Octauianus augustus cum eidem descendenti rome per sacram uiam: desperatus quidam diceret: o tyranne: si essem inquit non diceres.**

Vnde cum Tiberius quereretur per epistolam quod multi de illo perperam loquerentur, ita rescripsit: Mi Tiberi, noli nimis indignari quemquam esse qui de te male loquatur. Satis est enim si hoc habemus ne quis nobis malefacere possit. Idem tanta comitate quoslibet se adeuntes excipiebat ut quendam ioco corripuerit quod sic sibi libellum porrigere uereretur quasi elephantum stipem. Et quantum Nero adulationibus captus est, tantum iste ab eis auersus est. Vnde appellationem domini ut maledictum et obprobrium semper exhorruit. Denique cum eidem descendenti per sacram uiam desperatus quidam diceret “O tiranne”, si essem, inquit, non diceres.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.14 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.225, ll.124-134).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 11: De audacia (fol.125ra)

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. **Dionydes pirata ab alexandro rege apprehensus: interrogatusque quid ei videretur quod mare haberet infestum: libera contumacia quod tibi inquit vt tu orbem terrarum. Sed quia id ego vno nauigio facio latro vocor: quia tu magna classe diceris imperator. Si solus captus sit alexander latro erit. si ad nutum dionydis famulentur populi erit dionydes imperator.**

Cum enim Alexander interrogaret quid ei videretur quod mare haberet infestum, ille libera contumacia, quod tibi, inquit, ut tu orbem terrarum? Sed quia id ego uno nauigio facio, latro uocor, quia tu magna classe, diceris imperator. Si solus captus sit Alexander, latro erit. Si ad nutum Dionidi populi famulentur, erit Dionides imperator.

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.14 (CCCM 118, K.S.B. Keats-Rohan ed., p.223, ll.65-70).